

et mihi revelatur ut absolute, et de facto facienda, non teneor illam velle, eique conformari in se materialiter consideratæ, non obstante quod sit volita a Deo.

XXI. Et si quæras, an facta tali revelatione possim conari contra rem illam, quam scio absolute futuram ex divina voluntate, et ponere media ut non fiat, respondetur non posse contra illam futuritionem rei ponere media, ut non fiat formaliter, ut est ex voluntate Dei, bene tamen contra illam materialiter consideratam, et prout dependet ab aliis particularibus causis. Primum constat, quia ob obsistere formaliter illi rei, ut est a voluntate divina, et est frustraneum, seu vanum, et impium, nam voluntati Dei quis resistit? Conari autem contra aliquid impossibile omnino est vanum, et temerarium, et frustraneum. Rursus velle infectum reddere, quod Deus absolute decernit esse faciendum, idque revelat, est irreverenter se habere ad Deum, et non æstimare, aut magni facere talem voluntatem; nec enim alicujus potestati, et voluntati expressæ, et cognitæ resistimus, nisi quia illum parvipendimus, aut vincere existimamus. Quod totum de Deo æstimare nefas est.

XXII. Et constat hoc ita esse, quia qui voluntati cognitæ alterius resistit, non se illi subjicit, sed retrahitur ab illo, et conatur contra illum; ergo irreverenter se habet, et sic impium est velle sic conari contra Deum, et contra efficaciam voluntatis ejus, quasi intendens eam evacuare. Secundum vero ex eo deducitur, quia non frustrabitur, neque evacuabitur efficacia divina ex eo quod conemur contra causas particulares, et contra rem ipsam ut a particularibus causis dependet, et in se materialiter consideratur, si quidem omnibus illis superior, et efficacior est divina voluntas. Ex alia

autem parte non tenemur illis causis particularibus cedere, eisque conformari, aut rei ipsi in se materialiter consideratæ, et ut res quædam particularis est; ergo non obstante divina voluntate cognita, possumus media contra rem illam eisque futuritionem ponere prout a causis particularibus dependet.

XXIII. Quod etiam exemplis manifestum fit, nam etiam si Deus alicui certo et absolute revelet mortem suam, aut suorum, ut pluribus sanctis fecit, adhuc possunt et debent adhiberi medicamina contra infirmitatem; et si cui reveletur futurum peccatum, ut D. Petro revelavit Christus, adhuc tenetur conari, et ponere media ad non peccandum. Et Christus Dominus certo sciebat se esse moriturum, et tamen rogabat Patrem ut transiret ab eo hora, non quidem animo contraveniendi voluntati divinæ, sed ostendendi affectum suum ad illam mortem, ut ex causis particularibus dependebat. Non ergo obligamur non apponere aliqua media contra id quod Deus efficaciter vult consideratum materialiter in se, et ut pendet a causis particularibus.

XXIV. Sed quid si Deus revelet alicui, non solum permissionem peccati, sed etiam prædefinitionem, aut prædeterminationem suam, ad materiale peccati? Teneturne contra illam conari, an potest se ei conformare? Si conatur contra illam, resistit Dei voluntati; si illi conformatur, ergo ex revelatione divina movetur homo ad operandum hunc actum, et sic Deus erit non solum physice, sed etiam moraliter causa peccati, quia manifestando objectum movet, quæ est influentia moralis. Respondetur quod talis manifestatio non movet ad volendum illud peccatum, nec ad materiale actum facere eo modo, quo est et procedit a me, nec enim Deus pro-

ponit ut ego faciam illum, nec ad id potest suadere, quia intentator malorum non est; sed solum talis manifestatio revelat prædeterminationem, et concursum illum, ut a Deo est, et sub eo modo quo a Deo est, scilicet sub ratione physice entitatis præcise. Solum ergo potest moveri voluntas ad volendum, quod Deus habeat talem modum operandi et concurrendi, non tamen ad volendum, ut a se fiat talis actus, quia tunc jam involvitur modus quo ille fit a voluntate creata, et hic est conjunctus deficientiæ, cui non tenetur conformari.

XXV. Ad confirmationem respondetur, quod licet Deus non velit nocumentum meum sub ratione nocumenti, tamen sub ratione illius boni, unde sequitur in me tale nocumentum, Deus vult rem illam; ego autem non teneor conformari rei illi unde mihi nascitur nocumentum, sed possum illi resistere, ut ex causis particularibus est, licet conformet illi ut subest ordini divinæ providentiæ formaliter loquendo. Et secundo addimus, quod etiam si mihi res illa non noceat, possum non velle illam, ut non utilem, nec pertinentem ad me, neque illi conformari. Et possum conari ad hoc ut aliquid non sit in rerum natura, nec tamen ex hoc dependet totus ordo universi; quis enim dicat me peccare si velim non esse pulices, aut muscas, aut alia molestantia in particulari, vel quod ordo universi dependeat ex hoc, quod ista, aut illa individua, quæ hic et nunc molestant, sint in rerum natura? Cum ex eo quod ista intereant, et corrumpantur non desinat ordo universi, qui corruptionibus, et generationibus agit, imo etiam si aliqua species ex his imperfectioribus totaliter interiret, non destrueretur ordo universi, sicut multæ perierunt in tempore diluvii ex animali-

bus imperfectis, quæ postea calore solis ex terra oriri potuerunt. Sed non oportet velle quod tota species aliqua pereat, sufficit velle quod aliqua individua non sint, scilicet illa quæ me molestant, etiam si videamus Deus velle illa esse.

XXVI. Dico secundo: Quotiescumque aliquod objectum est ita volitum a Deo, quod liberum est mihi velle illud, vel nolle secundum rationes, et motiva particularia, laudabilius est ei conformari, et velle illud, quia volitum est a Deo. De hac conclusione videatur Medina hic quæst. xix, ar. x, et communiter Thomistæ Ratio est manifesta, quia si liberum mihi est, et licitum velle hoc objectum, vel nolle ex particularibus motivis, tantot erit melius, et laudabilius quanto melius motivum ei accumulavero, et adjunxero. Hoc autem quod est fieri, et impleri voluntatem Dei per se loquendo multo melius motivum est, si aliquod impedimentum non interveniat, quod mihi non relinquat liberum, et licitum illud velle; ergo tali motivo conformari laudabilius est.

XXVII. Et confirmatur, quia talis magis subjicitur voluntati Dei, si quidem magis illi conformatur, et melius potest dicere: *Fiat voluntas tua sicut in celo, et in terra*, quia in omnibus in quibus potest ei conformatur, atque subjicitur; ergo melius facit. Unde et viri perfecti hoc communiter faciunt in laboribus, et persecutionibus, et aliis successibus dicendo, quod fiat voluntas Dei, sicut discipuli D. Pauli, Actor. xxi, qui post cognitam prophetiam de alligacione Pauli in Jerosolymis, rogabant ipsum ne ascenderet, et tandem postea dixerunt: *Voluntas Dominus fiat*. Et amicis atque proximis in tribulatione, aut infirmitate constitutis compatimur, etiam si sciamus morituros, et tamen pro solatio, et



ratione ultima conformitatem habemus cum voluntate divina, tamquam aliquid laudabilissimum.

XXVIII. Et si inquiras quomodo discernemus, quando liberum, et licitum nobis est velle, vel nolle illud, quod scimus Deum determinare velle, respondetur in tribus casibus non esse licitum. Primo, quando id quod est volitum a Deo est tantum permissum; non positive volitum, ut peccatum, et carentia gratiæ; secundo, quando est præceptum de opposito ejus quod Deus vult, ut si Deus velit damnationem alicujus et revelet eam esse futuram, nihilominus non possum velle illam damnationem, quia esset contra præceptum charitatis; tertio, quando id quod Deus vult determinate tale est, quod vergat in damnum proximi, ut si videam patrem meum mori, aut damnum imminere proximo, non possum velle illud directe, et per se, quatenus est malum illius, licet possim tolerantiam illius persuadere ex conformitate ad divinam voluntatem, ut dictum est. Et hoc in idem videtur coincidere cum secundo, quia ideo non debeo velle damnum, vel malum proximi, quia est contra charitatis præceptum, licet magis sit ipsa damnatio, quia majus est malum. Quare ubicumque illud materiale volitum a Deo non est permissum tantum, id est, malum culpæ, aut carentia gratiæ, vel damnatio, aut non intervenit aliquod præceptum de opposito talis voliti, quia est damnum alterius, liberum et licitum est velle tale volitum materiale, et sic laudabilius erit conformari in eo voluntati divinæ, quando de ea nobis constat.

XXIX. Sed objicies: Nam D. Thomas in 1, dist. XLVIII, quæstione unica, art. IV dicit: «Quod licet voluntas ut natura, et appetitus sensitivus possint refugere id quod Deus vult,

deliberata tamen voluntate tenemur conformari divinæ voluntati in volito; » ubi loquitur aperte de volito materiali, nam in formali non habet locum appetitus sensitivus, aut voluntas ut natura. Et idem apparet exemplo Christi Domini, qui mortem refugiebat appetitu sensitivo, deliberato tamen conformabatur Deo in ipso volito materiali. Idem quoque sumitur ex illo primo Reg. XVI, ubi Dominus increpavit Samuelem dicendo: *Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum ne regnet super Israel?* Non increpabat autem Samuelem, quia non conformabatur in volito formali voluntati divinæ, sic enim peccasset Samuel lugendo Saulem: ergo quia non conformabatur in volito materiali.

XXX. Et confirmatur, quia voluntas Dei non solum in universali, et secundum universalem dispositionem universi, sed etiam in particulari in hoc vel illo volito est justissima, et rectissima, et nos petimus ut fiat voluntas Dei sicut in cælo et in terra, non solum quantum ad volitum formale, stultum enim esset petere a Deo ut haberet rectam dispositionem, et ordinem in volendo, sed quantum ad materiale, ut videlicet illa voluntas applicetur isti, et illi volito particulari, et illi materiali volito conformemur in terra, sicut conformantur in cælo, ubi omni volito materiali Dei conformantur, ut docet D. Thomas in hac quæstione XIX, art. X ad primum: ergo tenemur conformari Deo in volito materiali, aut saltem id perfectius est si quidem sic erit in statu gloriæ, cui nos petimus conformari dicendo: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, et in terra.* Et saltem negari non potest, magis servare leges amicitiae, qui in omnibus, et per omnia conformantur in volito etiam materiali, ita quod non

habeant nisi idem velle et nolle, quam qui in aliquo disconveniunt, præsertim quando voluntas unius nempe Dei est regula rectitudinis nostræ voluntatis, quæ recta esse non potest nisi voluntati Dei conformetur. Unde dicit Augustinus super Psal. XXXV: «Voluntas tua corrigenda est ad voluntatem Dei, non illa curvanda est ad te, et rectum habebis cor.» Et loquitur de volito materiali, nam formale volitum non potest curvari: materiale autem potest bene, vel male attingi. Quid autem melius quam inter diversas rationes, et motiva volendi, conformari illi, cui voluntas Dei conformantur?

XXXI. Respondetur D. Thomam in prædicto loco loqui de conformitate ad voluntatem divinam formaliter, et non solum materialiter. Imo ex eo quod appetitus sensitivus, et voluntas ut natura non respiciunt superiores rationes, et motiva quibus divina voluntas movetur, sed solum particulares, et proprias, quæ sibi connaturales sunt ideo non potest appetitus sensitivus formaliter, et per se conformari voluntati divinæ in volito formali, quia non cognoscit volitum formale, id est, motivum formale divinæ voluntatis, solum autem id pertinet ad deliberatam voluntatem. Sed tamen hæc deliberata voluntas potest dupliciter procedere circa hoc materiale volitum. Uno modo utendo rationibus divinis, et motivo divinæ voluntatis; alio modo utendo temporalibus, et particularibus motivis, nam etiam hæc inferiora attingit ratio deliberans, quia bene potest ratio attingere id quod sensus, sed quia proprium est rationis elevari supra sensum, et supra ejus motiva; ideo D. Thomas loquens de ratione deliberata in contrapositionem appetitus sensitivi, solum accipit rationem deliberatam pro ratione utente mo-

tivis superioribus et divinis, non his quæ sensui etiam sunt communia. Sic autem accipiendo rationem deliberativam, tenemur in volito conformari divinæ voluntati, quia ibi involvitur volitum formale, id est, motivum ipsum voluntatis divinæ.

XXXII. Cæterum si accipiamus ipsum volitum a Deo solum materialiter, et non ut volitum ex motivo formali divino, sed ex motivo particulari, poterit sicut appetitus, ita et voluntas deliberativa velle oppositum talis materialis objecti, non obstante quod sit volitum a Deo, quia solum vult illud ut subest particularibus causis, et motivis, licet deliberate, et cum ratione vel discursu. Ad illud vero quod affertur ex facto Christi, dicimus potius stare pro nobis, quia Christus refugiebat mortem, et orabat actione liberata, et deliberata, non solum utendo voluntate ut natura, aut solo appetitu sensitivo, cum nullus actus appetitus sensitivi in eo præveniret rationem, sed ratione deliberata, et advertente utebatur, sed non deliberante secundum rationes æternas, et superiores, sed secundum particulares, et temporales, et secundum hanc voluntatem sic regulatam discordabat in volito materiali a voluntate Dei, sed non secundum æternas, secundum quas ei conformabatur; et sic nulla erat contrarietas in istis voluntatibus, quia secundum diversas rationes procedebatur. Ad illud de Samuele lugente Saulem, dicimus illa verba non dici per modum increpationis, quasi peccaverit Samuel lugendo Saulem, sed per modum repulsæ orationis ejus, quia in hoc non erat exaudiendus Samuel pro Saule, cum Deus decrevisset eum abjicere. Et cum usque ad illud tempus non constet manifestasse Deum Samueli suam absolutam voluntatem de abjiciendo Saule, non tenebatur Samuel tali rei conforma-



ri, nec currebat in eo casus noster, sed potius totum oppositum, quia quamdiu nescitur voluntas Dei circa aliquid, non potest currere obligatio de conformando se voluntati illi.

XXXIII. Ad confirmationem respondetur voluntatem Dei etiam in particulari, ut applicatam isti objecto materiali justissimam, et rectissimam esse, sed non esse restrictam ad hoc materiale objectum, ita ut oppositum sub aliqua particulari ratione non velit, et sub illa possumus nos etiam velle oppositum sine contrarietate ad divinam voluntatem absolute sumptam: quia enim voluntas Dei est principium universalissimum omnium etiam eorum, quæ inter se contraria sunt, ita vult ex illa universalissima ratione, et determinatur, atque applicatur ad unum, quod etiam vult aliud ei contrariari, et ad oppositum ejus conari secundum particulares suas rationes. Unde qui movetur ad volendum res juxta particulares rationes, et motiva potest in his rebus velle id quod contrarium est voluntati divinæ, non quatenus tenet se ex parte Dei in sua universalitate, sed quatenus applicata rebus in quibus non solum vult rem istam accidere, et fieri de facto, sed etiam vult alteram ei contrariari, aut in oppositum conari, aut indifferentem relinquit, nec obligat ut rem illam velim in se, aut prout dependet a particularibus causis, licet voluntate justissima ex parte Dei fiat, sed non obligor ego omne justum velle etiam si justum et juste dispositum esse sciam, alias obligaret ad omnia consilia, quia hæc Deus vult. Quare ex eo quod Deus juste aliquid velit nullo modo sequitur, quod ego maneam obligatus ad id volendum, si non ponatur præceptum, quia non omne quod justum est teneor velle. Imo cum voluntas Dei sit altioris, et uni-

versalioris motivi, nec pertineat ad creaturam eo modo disponere de rebus sicut pertinet ad Deum, aliquando id quod justum est respectu illius motivi ita universalis, non est justum respectu motivi particularis, quo voluntas creata vult, sicut Deus vult permissionem peccatorum, et carentiam gratiæ in peccatore, et damnationem in obstinato, ego tamen non possum ista velle, quia voluntas mea procedit secundum rationes particulares, quia ad me non pertinet gubernare totum universum; Deus autem qui totum mundum gubernat, si aliqua mala non permitteret, multa bona tolleret.

XXXIV. Ad id vero, quod dicitur, nos petere a Deo ut fiat ejus voluntas respondetur optime id peti, quia voluntas Dei est sanctificatio nostra. Nec petimus per hæc verba ut Deus habeat rectam voluntatem ex parte sui, sed ut fiat in nobis hæc recta voluntas. Recta autem voluntas manet, et salvatur non solum quando ego volo id quod Deus determinate vult, sed etiam si oppositum ejus velim extra casum præcepti, quia etiam Deus hoc vult, cum sit debitum causæ particulari sic aliquando velle ex suo particulari motivo, et Deus est causa omnium istarum voluntatum, et motuum. Unde nunquam possumus velle extra universale, et formale motivum divinæ voluntatis, bene tamen extra particularem materiam volitam a Deo. Quod vero in gloria omnes conformantur divino volito etiam materiali, est propter illius status perfectionem, ubi cognita Dei voluntate (nam ante cognitam etiam beati Angeli inter se pugnant, et contrariantur, ut docet D. Thomas) operantur solum secundum rationes æternas, et superiores, et sub illo motivo, quo Deus vult res illas, quia fixe secundum omnia adherent vo-

luntati Dei, etiam in complacendo de aliorum damnatione, aut morte, etc. *Quia lætabitur justus cum viderit vindictam*, imo et permissionem peccati, et totam seriem reprobationis aliorum sibi revelatæ volunt eo modo quo Deus vult. Hoc tamen non tollit, quod in nobis operantibus juxta particulares, et temporales rationes, aliquando sit licitum velle oppositum secundum illas rationes (imo debitum, ut in permissione peccati, et in malis proximorum) aliquando vero sit permissum velle oppositum, quia non est præceptum, licet sit laudabilius conformari voluntati divinæ, quod et beati faciunt, qui perfectissime operantur, non tamen obligatorium, quando non est præceptum.

XXV. Ad id quod dicitur de perfecta lege amicitiae, dicimus in primis licet id sit perfectius, non tamen esse de obligatione, sed de perfectione amicitiae. Et ita erit laudabilius, ut diximus in secunda conclusione conformari volito divino, dummodo non sit præceptum in contrarium. Deinde dicimus non eodem modo loquendum esse de legibus amicitiae cum Deo, et cum aliis hominibus. Nam voluntas Dei est universalissima, et complectitur omnia. Unde non solum vult aliquid fieri, sed etiam vult aliquid rei illi contrariari, et in oppositum conari. Vult etiam multa non pertinere ad nos, nec circa illa obligari ad velle, vel nolle. Unde cum Deo implet leges amicitiae non solum qui aliquando conatur in oppositum (secluso præcepto) nam id totum complectitur voluntas talis amici. Et non negamus divinam voluntatem regulam esse nostræ voluntatis, sed non semper obligantem, aliquando etiam oppositum permittentem, imo ut oppositum secundum rationes particulares velimus obligantem. Et dictum Augustini

intelligitur de eo qui curvat voluntatem divinam ad se quando est præceptiva, et obligativa, si enim non obliget, non obliquatur cor nostrum nolendo illud. Et licet melius sit conformari in multis quæ Deus vult voluntati ejus, sed non semper obligat.

XXXVI. Secundo objicies: Nam tenetur aliquis conformari volito divino formali ut diximus; ergo et materiali. Conclusio probatur; tum, quia motivum formale divinæ voluntatis est ratio universalissima, qua Deus disponit de omnibus rebus juxta suam voluntatem, ut docet D. Thomas in articulo x, quæst. xix, sub ratione autem generali comprehenduntur omnia particularia: ergo si tenemur conformari voluntati Dei formali, ejusque generali motivo, etiam particularibus motivis debemus conformari, ergo et materiali volito; nam conformari in materiali volito nihil aliud est quam conformari illi volito secundum particulares rationes, et prout dependet a particularibus causis, et non solum ut subest generali Dei motivo: si ergo tenemur conformari illi generali motivo, etiam et particulari, quia hoc sub illo continetur; tum etiam, quia non potest quis conformari motivo formali in abstracto, sed in concreto prout isti, vel illi materiæ applicatur, semper ergo debet conformari alicui materiali volito, si formali volito conformatur in concreto, et specialiter: frustra enim quis conformatur volito materiali in generali, et in abstracto, si nulli particulari volito conformatur. Imo aliquando est inseparabile volitum formale a materiali. Nam si Deus vult mihi pœnam, ratio volendi illam est quatenus nociva, et mala mihi, et hoc est volitum formale, quia est ratio volendi illam in Deo. Non potest autem esse volita



illa res ut nociva mihi, nisi sit voluta illa pœna, hæc autem est volitum materiale; ergo non separatur volitum materiale a formali.

XXXVII. Respondetur negando consequentiam. Ad primam probationem dicitur, quod motivum universale divinæ voluntatis dicitur universale in causando, et attingendo omnia, sed speciale in essendo, et in modo causandi, ipse enim modus infinitus, et tantæ universalitatis est, est specialissimus, et distinctus a reliquis modis particularibus, quibus creaturæ causant distincto modo a Deo, licet sub illo. Unde bene quod illi universali modo, quatenus in se ita infinitus, et universalis, et perfectus est teneamur conformari, quia est summa iustitia, et perfectissima regula, et tamen particularibus modis operandi creaturarum etiamsi supponantur esse voluta a Deo non teneat conformari, quia ad me non pertinent, nec Deus de illis mihi præcepit, aut quia mihi sunt contraria, quia hoc ipsum Deus vult sua illa universali ratione, quod particularibus illis volitis non teneat conformari. Unde potius ex universalitate divina deducitur, quod non teneat volito materiali conformari (excepto præcepto) quia tanta est universalitas illa dispositionis, et ordinis divini, quod etiam completitur motivum meæ voluntatis, et vult me non teneri, sed posse illud particulare volitum non amare ut particulare, licet passive sit volitum a Deo.

XXXVIII. Ad secundam probationem dicitur. Primo, non repugnare quod voluntas aliquid in abstracto consideret, et sic velit illud sub illa inadæquata, et abstracta consideratione, quia potest voluntas velle aliquid in universali, et in abstracto, et sic conformari volito formali Dei, ut in abstracto: secundo, addo

quod etiam si velit illud in concreto et prout applicatur alicui materiæ, cum Deus ex sua illa ratione formali non solum velit illud quod efficaciter vult fieri, sed etiam velit quod ego possim illi contrariari, ut particularis res est illudque abjicere, vel repugnare quantum est ex me, aut quod non obliget illud velle, si non ponat præceptum etiam sic contrariando et nolendo, conformor volito formali divino, sub quo etiam hæc nolitio continetur. Et sic non frustra illi volito formali conformatur quia etiam in aliquo particulari ei subordinatur. Et ad ultimum dicitur Deum velle mala pœnæ ut mala nobis non ex odio, et displicentia personæ, sed ex ordine iustitiæ; et hunc ordinem iustitiæ tenetur homo amare ut volitum formale, illam vera pœnam potest detestari, ut malam personæ propriæ, quam diligit, ex hoc est volitum materiale in illa pœna.

QUOMODO SIT CONFORMITAS AD VOLUNTATEM DEI, UT EFFECTIVAM.

XXXIX. Conformari voluntati divinæ in genere causæ efficientis est velle voluntatem nostram id quod Deus vult, seu facit nos velle, ut docet D. Thomas quæst. xix, art. x. Et in hoc unum est certum, scilicet quod voluntas nostra de facto semper conformatur voluntati divinæ efficienti, quia voluntati Dei efficaciter moventi, voluntas nostra non resistit: nec potest voluntas se subtrahere ab universalissima operatione et influentia Dei, et aliud operari in quod ipse Deus non operetur. Difficultas autem est, an jure et ex debito teneatur nostra voluntas Deo sic efficienti, et operanti conformari, ita ut teneatur velle illud quod effective Deus facit, et in-

fluit in illum. Et respondetur non teneri, nisi imponatur præceptum, quia remoto præcepto, liberum est voluntati cessare ab actu, quem de facto elicit; ergo potest talis elicientia actus, et exercitium sibi displicere, ergo non tenetur velle illud, etiam ex suppositione, quod Deus effective influat, et concurrat ad talem actum; alias quotiescumque ego aliquid operor, aut volo de facto, non possum licite cessare, quia Deus effective operatur in voluntatem meam. Sed inquires: An saltem, quamdiu durat illa elicientia actus, et influentia Dei efectiva in illum, teneat illum velle. Respondetur, quod remoto præcepto, non teneor, quia pro quocumque instanti, et tempore, quod actum elicio possum non elicere, et cessare; ergo remoto præcepto non teneor ex vi talis efficientiæ, seu elicientiæ actus, et influentia Dei efectiva in illum, velle illum. Itaque efficientia Dei, ut præcise est efficientia solum dat conformationem in ipsa operatione de facto, quia consequitur ex tali efficientia me de facto operari, non tamen ex illa efficientia sequitur obligatio, quia hæc non sequitur efficientiam, sed præceptum, seu mandatum.

XL. Quod si dicas: Nam D. Thomas quæst. xxiii de veritate, art. viii ad tertium, ponit differentiam inter voluntatem prælati, et Dei, et dicit: « Quod voluntati prælati non tenemur conformari, nisi adsit præceptum: voluntati vero divinæ tenemur etiamsi præcepto non manifestetur: » ergo ista obligatio conformationis non est regulanda per præceptum, sed per simplicem voluntatem, respondetur loqui D. Thomam de voluntate divina pro volito formali, quia dicit voluntatem prælati non esse regulam nostræ voluntatis, sicut est voluntas divina, sed præceptum ejus. Con-

stat autem voluntatem divinam esse regulam non ratione voliti materialis, sed ratione voliti formalis, quia formalis ratio volendi in Deo est ipsa justissima rerum omnium dispositio, cui semper tenemur conformari. Ratio autem formalis, qua movetur prælatus est particularis quædam ratio, et dispositio, cui non semper teneor conformari, nisi præceptum imponat, quod est justum, alias vim præcepti, et legis non haberet.

ARTICULUS V.

*Utrum in actu exteriori formaliter, prius sit bonitas, et malitia quam in actu interiori?*

I. Supponendum est, quod nomine bonitatis, aut malitiæ formalis intelligimus illam prout distinguitur a fundamentali, vel potenciali, aut objectiva, sicut enim scientia formalis convenit actui intellectus, quia solum hic formaliter intelligit, objective autem, et fundamentaliter convenit rei scibili, ita malitia et bonitas formaliter convenit actui a nobis elicitio, quia solum actus formaliter est liber, et consequenter moralis, seu regulabilis a ratione, objectum autem non est formaliter liberum, et morale, sed objective et fundamentaliter, sicut objectum est scibile, non scientia. Rursus actus qui elicitur, et formaliter ad objectum tendit, si sit actus externus non habet de se libertatem actu, et formaliter, sed solum potentialiter, quia potest a libero actu imperari. Unde si actus exterior sit objectum interioris, ut quando aliquis vult exteriorem operationem ut ambulare, scribere, furari, occidere, orare, etc. talis actus ut objectum est interioris volitionis dat